



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Effectibus - qui primi, ac per sese ex notitia Dei consequuntur: De Æstimatione nimirum, in qua habendum, deque ardore, quo amandum est illud incomparabile objectum

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. XXXII. De alia intimiore communionem, imò unione, quam perfectus Dei amor inter nostram, & illius voluntatem constituit. Cujusmodi ea sit, quæque rationes nos ad eam possint impellere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54508)

## CAPUT XXXII.

De alia intimiori communione, imò unitate, quam perfectus DEI amor inter nostram, & illius voluntatem constituit. Cujusmodi ea sit? quæque rationes nos ad eam possint impellere?

**P**arùm est amicis, externa sua bona in unum conferre, nisi idem etiam de se ipsis, deque præcipua sui parte, voluntate videlicet, faciant, volendo uterque, quidquid velle alterum noverit. Idque adeò necessarium ad perfectam amicitiam Aristoteli est visum, ut neget, posse inter eos hanc existere, (L. 9. Eth. c. 3.) *qui non iisdem gaudeant, & doleant.* Nam & perfectè amici, quemadmodum ipse alibi scripsit: (Lib. 7. Eudem. c. 7.) *Una anima sunt; & unius animæ plùs quàm una esse nequit voluntas.* Debet itaque, quisquis Deum verè amat, & solidam cum eo instituere amicitiam expetit, suam illi voluntatem donare, & suæ locò illius voluntatem sumere: ità ut plùs divina voluntate moveatur, quàm sua; imò suâ nullo pacto moveatur, sed dun-



taxat divinâ , possitque cum Apostolo dicere:  
 ( *Ad Gal. 2.* ) *Vivo autem jam non ego , vivit ve-*  
*rò in me Christus.* Cùm enim nihil aliud uni-  
 uscujusque vita , & anima fit , nisi quod prin-  
 cipium ei est operandi , & volendi , verissimè  
 dici potest , nequaquam in se ipso , nec per  
 suammet animam , sed in DEO , pèrque illi-  
 us spiritum vivere , qui non à se ipso , neque  
 à sua anima , sed à DEO ad operandum , &  
 volendum movetur. Jam verò duobus mo-  
 dis possumus DEI voluntatem pro volendi  
 principio habere , quemadmodum duplex se-  
 cundùm Theologos DEI voluntas circa nos  
 est : altera videlicet *signi* , in præceptis sita , &  
 consiliis , per quæ ille , quid à nobis fieri velit ,  
 significat : altera verò *beneplaciti* , in æternis  
 decretis consistens , quibus idem ante mundi  
 creationem efficaciter voluit , quæcunque  
 præter peccatum in eo evenerunt , & eventu-  
 ra sunt. Utramque igitur prædictarum DEI  
 voluntatum perfectus DEI amor requirit , ut  
 pro norma , & principio volendi sumamus.  
 Primam quidem , exequendo cum omni ala-  
 critate , quidquid ipse per mandata , & consi-  
 lia significat voluntatis suæ esse , ut à nobis fi-  
 at , quantumcunque id asperum sit , humanò-  
 que nostro sensui repugnans. Alteram verò ,  
 ex-



excipiendo cum plenissima approbatione , quidquid juxta æternum illius placitum in mundo evenit , quantumlibet nostris rationibus , consiliisq̄ue adversetur. Sed de prioris executione , tanquam de exercitio completente quidquid maximè ardui in tota sanctiori vita est, heroicis nempe omnes actus virtutum , qui ad perficiendam eam pertinent , in sequenti libro , tanquam magis proprio ejus loco , mihi agendum sepono, circaque solum posterioris approbationem me hinc continebo , ostendens , quàm proprium amantis DEUM animæ sit velle , & complecti , quidquid ipsius nutu accidit , non aliter , quàm si ipsamet illud antea desiderasset , atque elegerit.

2. Et multa nos quidem ad DEI voluntatem in quibuslibet rerum eventis amplectendam , & plenè approbandam impellunt. Nam ut hinc ordiar, an non ille, ut libro præcedenti explicavimus . absolutissimus creatæ totius universitatis , rerumque omnium in ea existentium Dominus est? Quidni ergo summum indè jus habeat , statuendi de omnibus , quomodocunque sibi libuerit? Aut quis jure indignari possit, quòd suis rebus arbitrato suo utatur? *Numquid dicet figmentum ei, qui se fin-*



*xit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? (Ad Rom. 9.)* Quidnam, quæso, tu diceres, si aliquis tibi litem intenderet, eò quòd in hosce, aut illos usus tuam pecuniam, resque alias tuo dominio subjectas infumas? Nónne illum injustè agere clamitares? Nónne insolens, & alienum ab omni ratione tibi videretur, quòd tuam ità libertatem coërcitum iret? Nónne illum moneres, ut contentus sit, sua in domo esse dominus, téque in tua dominari sinat? Quanam igitur fronte DEUM in jus vocare audeas, quòd de hac mundi universitate, quæ domus ejus est, déque rebus creatis, quarum non tibi, sed illi dominatus convenit, non ad tuum, sed ad suum arbitrium decernat? *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat, L. I. Reg. c. 3.)* unica, & justissima fuit Sacerdotis Heli responsio, cum audisset supplicia, quæ DEUS familiæ suæ minabatur. Nec aliter, si quem rationis, & æquitatis sensum habes, dici à te quoque par est in omnibus, quæ per ejusdem utpote naturalis tui domini voluntatè tibi accidunt. Ità, ità profectò: hoc unum sufficit, hoc pro quavis ratione est. Nihil hìc potest dici, & sub-

jun-



ungi aliud : *Dominus est ; quod bonum est in oculis suis , faciat.*

3. Præterquam quòd , etsi abesset DEO hic supremi , & universalis Domini titulus ; satis tamen valida ratio acquiescendi in quovis eventu illius voluntati esset , quòd nihil hac esse possit sapientius , & rectius , imò quòd ipsa princeps sit totius recti amussis , & norma : adeò ut decerni ab ea aliquid tantundem valeat , quantum esse justum , sapiens , & rectum. Ex quo certissimæ veritatis principio hoc pariter certum consequens D. Thomas eruit , nostram scilicet voluntatem tunc solum existimari rectam posse , cum divinæ congruit : & quodocunque ab hac discrepat , non posse nisi pravam censi , utpote à prima , & universali totius recti norma aberrantem. *In quolibet genere est aliquid primum , quod est mensura omnium , quæ sunt in eo genere , in quo perfectissime natura generis invenitur. Et per hunc modum DEUS est mensura omnium entium. Tantum enim unumquodque habet de esse , quantum ei per similitudinem appropinquat , secundum verò , quod ei dissimile invenitur , ad non esse accedit. Et sic de omnibus , quæ in DEO , & creaturis pariter inveniuntur , dici oportet. Unde & intellectus ejus omnis cognitionis est mensura , &*



*bonitas omnis bonitatis : & , ut specialius loquar ,  
 bona voluntas omnis bonæ voluntatis. Ex hoc er-  
 go unaquæque voluntas bona est , quòd divinæ vo-  
 luntati conformatur. ( De Vol. DEI art. 7. ) Quæ-  
 ro itaque ex homine , qui decretos à DEO e-  
 ventus iniquo animo excipit ; ægréne illos  
 fers , quòd tibi præter rationem videantur de-  
 creti ? & hoc esset adversùs orthodoxam fi-  
 dem , imò & contra ipsa humanæ rationis  
 principia sentire ; an quia , etiamsi rectissi-  
 mos arbitraris , velles tamen DEUM priva-  
 tæ tuæ utilitatis respectu contraria iis decre-  
 visse ; & hoc foret duplici pravitate delinque-  
 re : unâ quidem , abhorrendo ab eo , quod  
 esse rectum fateris , nec potes idcirco , nisi per-  
 peram nolle ; alterâ verò , exoptando , ut  
 DEUS in perversæ , atque errantis voluntatis  
 tuæ gratiam , quod rectius est , nolisset. Quid-  
 nam igitur faciendum tibi est , quo utrumque  
 horum scopulorum vites ? Disce ex S. Augu-  
 stino : ( In Ps. 31. & 32. ) *Duæ voluntates sunt :*  
*sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem DEI ,*  
*non voluntas DEI detorqueatur ad tuam. Prava*  
*est enim tua , regula est illa. Stet regula , & quod*  
*pravum est , ad regulam dirigatur. Quantum enim*  
*DEUS distat ab homine , tantum voluntas DEI à*  
*voluntate hominis. Sed quid te ad Augustinum*  
 mit-*



mitto ? disce id ex Doctore Ethnico , Epicte-  
to nimirum , cui , ut humanos quosque even-  
tus æquo animo acciperet , fat erat , majorem  
in divina , quàm in sua voluntate bonitatem  
agnoscere , ut ex his illius verbis colligi po-  
test : ( L. 4. c. 7. ) *Ei , quod accidit , semper ac-  
quiesco. Melius est enim , quod DEUS vult , quàm  
quod ego volo.* Certè manifesta ratio exigit ,  
ut , si duæ voluntates in contentionem veni-  
ant , summopere altera sapiens , & recta : qua-  
lem divinam esse constat ; altera cæca , & præ-  
postera , qualem esse humanam inficiari ne-  
quimus ; secunda primæ potiùs dirigendam  
se præbeat , quàm illius sibi regimen poscat.  
Philosopho siquidem teste , ( *In Lib. I. de An.  
c. 85.* ) *Recto & ipsum , & obliquum cognoscimus ,  
judex enim utriusque regula : obliquum verò ne-  
que sui ipsius , neque recti.* Et ubi opposita ra-  
tione ageretur , ità ut obliquum , pro eo ut  
se accomodaret ad normam recti , illius nor-  
ma esse vellet ; nemo utique non videt , quan-  
ta indè rerum perturbatio sequeretur , quàm-  
que similis mundus fieret fabuloso illi apud  
Plutarchum serpenti , ( *In Vit. Agid. & Cleom.* )  
cujus cauda , pro eo ut cæca , & oculorum ex-  
pers sequeretur capitis ductum ; illud poti-  
ùs instar ducis anteire , & post se trahere vo-  
luit.



luit. Nè multis: *Placeat homini*, inquit Seneca, *quidquid placuit DEO.* (Ep. 74.) Meminerit quisque, se hominem esse, animal scilicet, quàm veri ignarum, tam pravi appetens, ideòque dupliciter cæcum: & satis hoc illi erit, ut pleno assensu approbet, quidquid sapientissimo, ac rectissimo humanarum rerum moderatori placuerit, suæ licèt voluntati contrarium: repetat, inculcètque sibimet ipsi prudens illud Epiçteti monitum: (Arria. L. 2. c. 7.) *Ignavissime homo, aliudne expetis, quàm id, quod melius est? Num verò aliud quidpiam melius, quàm quod visum DEO fuerit?* Et Filii DEI humana carne amicti obsequentissimas voces, (Luc. 22.) *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Æquissime mundi arbiter, naturalis quidem meus sensus huic decreto à te eventui repugnat; sed quoniam certò novi, voluntatem tuam non posse esse in ulla re, quam statuat, jubeátque, nisi omnino justam, & rectam, meam verò in plerisque suis placitis imprudentem esse, ac perversam; libenter fero, bonique consulo, non id fieri, quod ego voluissem, sed quod tu vis, quòdque, quia volitum à te est, ego itèm jam volo.

4. Id quod tantò etiam alacriùs profiteri nos deceet, quò certiores sumus, decreta illius omnia,



omnia, præterquam quòd infinita æquitate, & sapientia temperentur, non minorem adjunctam sibi habere erga nos charitatem; nec aliò, quàm ad majus fervorum suorum bonum collineare. Cùm enim per infinitam perfectionis, & beatitatis suæ plenitudinem, nihil ille ulterioris boni intrà se assequi possit, nihil etiam propriæ utilitatis in ulla earum, quas decernit, & facit, respicere potest; adeò ut hujus causâ nîl pensi habeat, (ut sæpe homines faciunt) vel cum rerum nostrarum incommodo, & detrimento operari. Quòd si in quavis sua operatione jus habet quærendi, & quærit re ipsa suam gloriam, nempe ut cognoscatur, honoretur, & ametur à nobis; hæc tamen ipsius gloria, quemadmodum à vero, summòque nostro bono dividi nequit; ità nequit illum impellere ad decernenda, & agenda, nisi quæ majoris nostri boni usibus serviant. Si ergo constituti sub gubernatione, & regimine nostrimet Genitoris, vel fidissimi cujuscumque amici, nîl dubitamus, quin ipse in nobis gubernandis nostram utilitatem respiceret, quamvis humanæ conditionis suæ causâ proprias ille habere utilitates, & rationes possit, à quibus aliorum impellatur; cur cælestem nostrum Patrem tan-



tò minùs nostri amantem putemus; ut, quamvis nulla boni proprii ratione impulsus, ex mera duntaxat incuria facturus aliquid sit, quod nostræ utilitati adversetur? Næ ità de illo sentire, ad indignationem provocare illum esset, auferendo ipsi eam paternæ erga nos charitatis laudem, cujus ipse studiosum se imprimis exhibuit, quàmque tot argumentis probatam esse, ac certam nobis voluit; quot, quàmque luculentæ sunt testificationes, quas passim de illa in sacris eloquiis nobis reliquit. Nempe hìc quisquam objiciat, haud sibi apparere, quid majoris boni ex hoc, vel illo terrenis suis rationibus incommòdo eventu possit referre: nam & plerosque ægrotantium latet, quomodo, unde præscriptum sibi à Medico pharmacum se à morbo expediendi vim habeat: quin sæpe etiam contingit, ut posteaquam illud sumpsere, graviùs ad aliquod tempus perturbari se experiantur, quàm antea: nec tamen idcirco, si cordati, & prudentes viri sint, queruntur de medico: sed peritia, & fide illius freti, speratam magis futuri temporis valetudinem, quàm præsentis intemperias, & perturbationem attendunt. Si ergo, quamvis & molesta sæpe experiamur, quæ nobis præscribuntur remedia, & incerti  
ple-



plerumque de utilitate indè percipienda  
simus; imò fieri possit, ut eadem propter me-  
dici vel inscitiam, vel infidelitatem obsint no-  
bis potiùs, quàm profint, solemus ea nihilo-  
minus tanquam salutaria, & providè impera-  
ta confidenter accipere, quantò congruenti-  
ùs rationi est, ut promptè, alacritérque exci-  
piamus, quasi medicamenta sensui quidem  
ingrata, sed salutì opportuna, eas ærumnas,  
quæ nobis interdum eveniunt; cùm, licèt mi-  
nùs exploratam earum propriam utilitatem  
habeamus, certissimè tamen noverimus, à  
DEO illas nobis immitti, qui neque ùt aman-  
tissimus pater, & plenè in se ipso beatus, aliud  
in decretis suis omnibus præter verum no-  
strum bonum respicit, neque ùt infinitè sapi-  
ens errare in providentia sua potest? *Nil agis  
dolor:* (rèpetebat Possidonius Philosophus  
inter sævissimos articularis sui morbi crucia-  
tus) *quamvis sis molestus, nunquam te esse confi-  
tebor malum:* (Cic. 2. Tuscul.) sapienter nimi-  
rum animadvertens, non quia aliquid per-  
pessu asperum sit, posse etiã verè malum  
vocari. At sapientiùs David, utpote super-  
naturali divinæ fidei luce illustratus, infortu-  
nia à DEO sibi decreta nedum pro malis non  
habet; verùm de iis etiã, tanquam de verif-  
si-



fimis bonis, suæque lætitiæ, & consolationis materia, loquitur hilariter canens: (*Pf. 22.*) *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt:* perinde quasi diceret, fateor quidem, insectationis Saulis, perduellionem Absalonis, & Semei convicia virgam esse, quæ secundum se dolorem afferre percusso, & tristitiam valeat; sed enim, cum virga hæc tua sit, & paterno à te affectu *ad emendationem, non ad perditionem* (*Judith. c. 8.*) vibrata; satis id est, ut ejus plagæ consolandi me potius, quam contristandi vim habeant; neque enim potest, nisi è re mea esse, & ad verum meum bonum spectare, quidquid ex tam benevola manu mihi accidit.

5. Quando itaque humanus tuus sensus de eventu aliquo adverso conqueritur, nec aliam in eo nisi mali rationem agnoscit; corrige perperam opinantem, dicens ei: falleris, ô bone! in casu isto iniquius ferendo: quia, cum luscus sis, non vales in præsentis ejus molestia jucundos, & optabiles fructus perspicere, quos suo tempore pariturus est. Quòd si percontaris, quænam sit ratio expectandi ab eo hujusmodi fructus; en tibi illam meridiana clariorem luce, & nulli negabilem. Quia nempe iste casus eo volente, ac jubente evenit,



nit, qui & paterno te amore complectitur, & omnes indè proventuros effectus præsentissimo visu intuetur: quémque ideo incredibile omnino est, hujus tibi molestiæ auctorem futurum, nisi prævideret, eam tibi, modò velis, utilem fore; vel ratione amplioris boni, quod indè consequèris, vel respectu gravioris mali, quod illius occasione vitabis. Satis ergo tibi fit ad excipiendum libenti animo, & boni locò ducendum, quidquid duri accidit, à Patre tam provido, adeoque tui amante id decerni. *Quid sit Pater, nescit: nescit se filium, qui non credit Patri. Si ergo DEUM credis, & confessus es Patrem; quidquid jusserit, quidquid in te elegerit, crede satis esse salutiferum, satis esse vitale.* Ità in rem nostram scripsit Petrus Chrysologus. (*Serm. 7. & 55.*) Nec aliter sensit quædam novæ Galliæ mulier, verè *mulier fortis, & cujus pretium procul, & de ultimis finibus.* Cùm enim decumbentem ex morbo jussisset medicus bono animo esse, utpote cui nulla signa mortem portenderent; admirata ejus sermonem quæsit, scirètne medicus, Christianam se esse, auditòque, probè id ab eo sciri; cur ergo, subjecit, facta spe vivendi me consolatus es? Perinde quasi Christiano, qui firmissimè credit, DEUM Patrem  
fi-



fibi esse, suamque juxta mortem, ac vitam ex paterna illius manu pendere, terroris, ac tristitiæ causa esse mors posset. *Nónne DEUS Pater mihi est? Nónne is est, qui de vita mea decernit? Cur igitur tristarer ob ea, quæ Pater meus facturus est? Pro voluntate sua cuncta moderetur. Christiana sum: tristitiã nulla torquebor.* (Le Blanc. in Psalm. 121. art. 1.) Illustre perfectò exemplum, nec parva erubescendi nobis occasio, qui in Christianæ Ecclesiæ quasi centro nati, educatique, sæpe non habemus tantum fidei, ut DEUM Patris locò ducamus, neque tantum alacritatis, ut paterna illius scita approbemus, quantum habuit, quæ in extrema illa barbarie vix fortè plus acceperat, sciebátque de rebus divinis, quàm quod opus erat, ut baptismi suscipiendi esset capax. At fidamus, quæso, paternæ DEI providentiæ, qui nec minùs, quàm nos, vult, & meliùs, quàm nos, perspicit, quæ nobis expediunt: neque certam ei præscribamus, qua nos dirigat, viam, sed totos penitùs amantissimo illius regimini nos permittamus. *Et qui estis vos, qui tentatis DEUM? Posuistis tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Dicamus flentes Domino, ut secundùm voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.* (Judith. c. 8.)



6. Adde, quòd, quamvis minimè nobis constaret, singula quæque DE I placita & iustissima esse, & ad majus nostrum bonum referri; iniquo tamen animo illa accipere, nihil nobis, prout D. Augustinus observat, ad eorum onus excutiendum, sed tantummodo ad gravius sentiendum valeret. ( *In Ps. 99.* )  
*Noli servire cum murmure.* Non enim id agunt tua murmura, ut non servias, sed ut malus servus servias. Cùm è contrario, si libenter, amicèque illa ferimus; & minùs gravia experiamur, & præclarissimos ex iis fructus capiamus, utilissima per voluntariam hujusmodi subjectionem ea nobis reddentes, & si talia cæteroquin non forent. Quæ certè ratio nequit non maximi esse ad cordatum quemque hominem impellendum momenti, ut talis sit, qualis à D. Joanne Chrysofomo adducitur: dum interroganti, quonam modo tranquillus permanere, & hilaris possit inter adversos quosque eventus, respondet: *Si cogitaveris, quòd, seu velis, seu nolis, illa tamen patieris: sed, si gratè quidem, maxima lucraberis: sin vero ægre ferens, neque calamitatem ità minorem facies, & minorem reddes procellam.* Hæc itaque cogitantes, quod necessitatis est, hoc nostræ voluntatis factamus, Domino benedictionem referendo.

Ità



*Ita mala non voluntarie illata fient libera merita voluntatis. (Hom. 46. ad Pop.)*

7. Utque aliquos fructuum ex amica hac divinis decretis submissione provenientium referam; consequetur hinc primò tranquillitas animi, nullis fortunæ vicibus obnoxia, nec pro accidentium varietate mutabilis, sed sibi semper constans, ceu immotum stat semper fundamentum, quo nititur, nempe impossibilitas, ut quidquam in mundo eveniat, nisi à DEO volitum, vel permissum. Et sanè quamnam radicem omnium perturbationum, & mœrorum esse dixeris, unde animus hominis inquietari, affligique consuevit, non aliam, nisi quia voluntatem sortiti sumus infirmam, nec omnibus parem consequendis, quæ appetit: nam si alicujus voluntas ita omnipotens foret, ut nihil obstare illius votis posset; nã is sublatã omni tristitiæ, ac perturbationis materiã inter perpetua tranquillissimæ pacis alcidonia vitam traduceret. At numquid non omnipotens voluntas hominis est, qui nihil volens, nisi quod DEUS vult, hujus voluntatem suam fecit? Dubitari minimè potest, respondet D. Bonaventura, nisi dubitetur, an omnipotens voluntas DEI sit. (*In Diet. Sal. tit. 8. c. I.*) *Qui sunt divinæ voluntati*



rati conformes, sunt quasi Dii suæ voluntatis omnipotentes. Ergo neque dubitari potest, quin idem omnium inquietudinum, à quibus perturbari posset, radicem uno ictu amputaverit, jugique, & placidissima quiete animi perfruatur. Cùm enim in nulla re aliam à divina voluntatem habeat, quàm impossibile est contra divinam, tam & contra ipsius voluntatem quidquam accidere: utque DEUS apud Isaiam, sic & ipse gloriari jure optimo potest, (c. 46.) *Omnia voluntas mea fiet.* Unde illud porrò est Abbatis Dorothei paradoxum: Neminem magis arbitrato suo vivere, quàm qui non suo, sed arbitrato DEI vivit: neminem suæ magis voluntati satis facere, quàm qui divina duntaxat movetur voluntate, & sua sese omnino abdicavit. (Serm. 19.) *Qui propriam non habet voluntatem, suam ipsius semper agit voluntatem.* Paradoxum quidem mirabile, sed minimè dubium, cuiusque veritatem etiam Epictetus se expertem testatur, affirmans: nulla externa se vi aut impulsu fuisse, ut contra voluntatem suam ageret, aut præpeditum, nè eidem obsequeretur, eò quòd nunquam voluisset, nisi quod volebat DEUS. (Arria. L. 3. c. 26.) *Ego prohibitus, aut impeditus re fui nulla, cùm vellem aliquid,*

M m m

nec



*nec vi coactus, cum recusarem. Sed fieri istud, qui potuit? Quia subjeci voluntatem meam DEO. Si volet me febricitare, & ego volo: si aggredi quidpiam, non refugiam. Si appetere quid præcipiat, non respuam. Si adipisci, non recusabo. Sin verò nolit, detrectabo ego quoque.*

8. Nescio, num aliquando examinandum apud vos sumpseritis, cur aër nunquam esse soleat, quàm sub diei, & noctis medium quietior. Aristoteles, qui nihil ex effectibus naturalibus inobservatum prætermisit, nihilque observavit, quin ejusdem causas indagaret, re in medium proposita, ait: (*Probl. Sect. 25.*) posse id contingere, eò quòd aër, & meridie ob majorem solis præsentiam quàm maximè victus, & noctis medio præ majori ejusdem absentia quàm maximè victor fit. Nam, cum non ultrà repugnet, qui victus omnino jam est; nec inveniat victor, qui sibi ultrà repugnet, in utroque casu necesse est certamen desinere, eoque cessante certantem quiescere. Quotus ergo quisque non videt, eandem hanc causam non minùs, imò etiam ampliùs, quia ex utroque prædictorum capitum valere ad hominis quietem probandam, qui se totum divinæ voluntati permisit. Nempe victus hic usquequaque est secundum naturam,

vam,



vam, humanamque suam voluntatem, utpote quam DEO penitus subdidit, nè ullis illius decretis repugnet: sed & victor simul omnino est secundum voluntatem supernaturalem, ac divinam, quam suæ locò sibi induit, utpote cui nihil potest obsistere. Quapropter, cum neque ipse ulli rei, neque ulla res ipsi obsistat; palam est, procul omnium certamine in perfectissimæ pacis statu quiescere. Ità profectò, hæc illa pax est, quæ nascente olim DEI Filio annuntiata cælitus est *hominibus bonæ voluntatis*, voluntatis nimirum cum divina, quæ unica omnis bonitatis regula est, congruentis. Hoc illud *juge convivium*, (Prov. 15.) cui *secura mens*, terrenarum scilicet cupiditatum, & sollicitudinum expers, quia divino se regimini totam permittens, jucundissimè accumbit. Hoc illud *gaudium*, quod juxta Verbi divini promissionem, (Joa. 6, 16.) *nemo tollet à nobis*: cum illæ ipsæ calamitates, & jacturæ, quæ humanam extinguere, aut perturbare lætitiæ solent, consideranti eas, ceu divinæ voluntatis effectus in gaudii materiam vertantur. Hæc demum quæpiam quasi prælibatio integerrimæ illius, plenissimæque jucunditatis, qua Cælitæ perfruuntur: ideò, ut probat D. Thomas, expertes omni



sensu tristitiæ, quia, cum voluntatem DEI pro sua habeant; certò sciunt, nihil posse voluntati suæ contrarium accidere. (1. p. qu. 113. art. 7.) *Tristitia enim, & dolor, secundum Augustinum, non est, nisi de his, quæ contrariantur voluntati. Nihil autem accidit in mundo, quod sit contrarium voluntati Angelorum, & aliorum Beatorum, quia voluntas eorum totaliter inhaeret ordinationi divinæ Justitiæ. Nihil autem fit in mundo, nisi quod per divinam Justitiam fit, aut permittitur. Et ideo simpliciter loquendo nihil fit in mundo contra voluntatem Beatorum. Quæ cum ita sint, manifestè cuivis elucet, quàm efficax incitamentum hic habeat suæ voluntatis accommodandæ in omnibus ad voluntatem divinam: quando, qui se ita composuit, certò scit, nihil posse evenire, nisi quod ipse voluerit; nec proinde afficiendi se tristitiâ, suæque pacis perturbandæ vim habeat.*

9. Nec parvi faciendus est alter fructus, ex eadem nostræ voluntatis conformatione ad divinam proveniens: nimirum, quòd hoc pacto consequimur, ut DEUS se vicissim nostris votis accommodet. Proprium quippe illius est, talem se nobis exhibere, quales erga illum nos sumus, & consequenter tam prompto, & indulgenti favore velle, ut fiant,  
quæ



quæ nobis cordi sunt ; quàm prompto , & libenti nos animo factum volumus , quidquid ipse decreverit. Alioquin amicitiaæ leges , atque officia videri possent accuratiùs erga ipsum à nobis impleri , quàm ab ipso erga nos impleantur. Quod ipse nullo modo pati potest : utpote qui nulla ex tot incomparabilibus naturæ suæ prærogativis , quàm benignitate gloriatur magis : & cui multò veriùs convenit , quod de Cyro Persarum Rege Xenophon prædicat , ( *Cyrop. L. 8.* ) *Nihil magis veritum esse , quàm ut nè officiis vinceretur ab amicis.* Quòd si , juxta Regii Vatis sententiam , *voluntatem timentium se faciet ; ( Ps. 144. )* quidni facturus sit voluntatem se amantium , & ita amantium , ut nihil , nisi quod ipse vult , velint ? Ipsiusmet testimonium habemus in his ad B. Gertrudem sponsam suam verbis : ( *Insin. L. 4. c. 60.* ) *Si quis mihi cooperatur , ut eum mihi coaptem secundùm beneplacitum cordis mei ; necesse est , ut ego me illi conformem secundùm omnem beneplacitum cordis sui.* Expertus id est pius ille agricola , qui , ut in vitis Patrum refertur , vicinis rogantibus , undenam illius ager finitimis omnibus frugum ubertate antecelleret ; causam esse respondit , quòd ipse anni tempora semper pro voto , & usu suo ha-



beret. Cùmque illi admirarentur, & joculari hominem crederent; haud joci gratiâ, subjecit, sed ex animo, & serâ fide sic loquor. Anni tempestates nunquam mihi, nisi pro arbitrato meo sunt, quia nunquam alia esse volo, quàm quæ DEUS advenire jubet. Ideoque, cùm ego velim tempora, prout ab eo submituntur; ipse quoque mihi fructus largitur, prout à me optantur. (*Rodr. p. 1. tract. 8. c. 8.*) Neque aliter cuidam virgini evenit, ipsi quoque pro unica volendi norma divinam voluntatem habenti. (*Ibid.*) Cùm enim ad eam multi ob insignem ipsius famam confluerent, postulatum, sua ut DEO commendaret negotia; contingebat interdum, id ab ea officium per oblivionem præteriri, & negotia nihilominus è sententia succedere. Quare voti compotes ad eam mox redibant, de illo suarum, ut arbitrabantur, precum fructu ipsi gratias agentes: non sine ejus rubore, quæ noverat, & palàm profitebatur, nullum ibi esse suis precibus gratiæ, ac meriti locum. Donec, exoptulans aliquando cum DEO, accepta sibi referri illa munera, quæ ipse, quamvis à se non rogatus, ex mera sua liberalitate impertiverat; responderi ab eo sibi audiit: Vide filia, quo primùm die tuam mihi



voluntatem donâsti, meam tibi ego quoque vicissim despondi. Et, quamvis de hoc, vel illo peculiari munere nullas à te certas preces accipiam, si tamen gratum tibi illud esse intelligam; ità præsto, ac si conceptis, disertisque verbis petitum à me esset. O præclaram sanè hominis sortem! qui volens quæcunque vult DEUS, vicissim consequitur, ut DEUS itidem omnia ipsi grata velit, & faciat. Nónne hoc est anticipare in via Cælitum conditionem in patria? de quibus scribit D. Anselmus: (*Prosol. c. 25.*) *Sicut DEUS poterit, quidquid volet per se ipsum; ità illi poterunt, quidquid volent per illum. Quia, sicut illi non aliud volent, quàm quod ille: ità ille volet, quidquid illi volent. Et quod ille volet, non poterit non esse.* Quapropter, in pauca rem colligens, meum Lectorem sic alloquor. Vel amas voluntatem tuam, vel amore illius cares. Si hoc alterum, nihil habes jam causæ, quin te totum divinæ voluntati subicias: cùm huic subjectioni, præter propriæ voluntatis curam nîl obstet. Sin verò te amare illam dicis, hoc ipsum causam tibi præbet, ut te penitens divinæ voluntati submittas: quando neque assequi potes, quæ vis, nisi DEUS votis tuis morem gesserit; neque ut ille his morem gerat,



ulla certior est ratio, quàm se totum illius voluntati subijcere. *Scitote* ( edictum à Salaminio Rege subiectis imperio suo est, multoque veriùs à supremo mundi Moderatore suis famulis, atque amicis edicitur ) *Scitote, iis, qui meæ voluntati maximè servire studuerint, vivendi prout ipsi velint facultatem futuram.* ( *Isocr. in Nicocle.* )

10. Denique præstantissimus exercitacionis hujus, de qua agimus, fructus, & ad illam omnibus persuadendam solus sufficiens haberi jure optimo potest, quòd sibi deditos non plano duntaxat, & facili, sed & delectabili itinere ad eximiam sanctitatem perducit: nemo quippe hominum est, quin vitæ sanctimoniam & maximo habet in pretio, & impensè assequi cupiat. Sed plurimos ab ea sectandæ difficultates, salebræque deterrent, quibus oblitum illius iter videtur. Quòd si aliqua ipsis demonstraretur semita, nedum citra difficultatem, molestiamque, verùm etiam cum jucunditate, & delectatione ad eam ducens; quotusquisque non alacri hanc sibi animo capessendam putaret? Atqui talis exercitatio hic proposita est. Nam, quòd sanctos, à quibus usurpatur, ea reddat, tam nemini esse dubium potest, quàm omnibus constat,



stat, nec alibi magis sanctitatem, quàm in perfecto DEI amore esse positam, neque ullum certius existere perfecti argumentum amoris, quàm velle, atque nolle, quidquid alter velit, aut nolit. Sed neque dubitari potest, quin eadem perquam facilis suapte natura, imò etiam jucundissima omnibus sit: nam ad facilitatem quod attinet, quidnam cuius hominum seu egeno, seu diviti, seu idiotæ, seu doctrinis excullo, seu ægroto, seu bene valenti promptius factu, magisque sub manu est, quàm velle, quæcunque DEUS velit? Si verò attendatur jucunditas, ubinam, rogo, inveniri illa potest, quàm in propria voluntate semper explenda, adeò ut nihil queat homini accidere, nisi ex ejus sententia, nisi ipsi gratum? Cujusmodi esse conditionem eorum vidimus, qui voluntatem DEI pro sua habentes, quidquid per eam in mundo accidit, tanquam à se pariter volitum, læto, & gratulanti animo excipiunt. Quidnam igitur ardui, molestique in hac propriæ voluntatis ad divinam penitus conformandæ tam eximia cæteroqui sanctitate invenitur, si nihil demum ea est, nisi omnem adversorum casuum displicentiam ab animo excludere, nisi quovis rerum eventu delectari,



nisi inter assiduos gaudendi actus vitam traducere? Aut quisnam queri ultra potest, laborandum plus nimio homini esse, ut sanctè vivat; si nihil ad hoc aliud requiritur, nisi semper tranquillum, semper contentum, semper hilarem vivere? Ubi ad aliquid persuadendum summa hinc honestas, parque indè facilitas, & animi delectatio conspirant; non piger, sed omni carens sensu meretur dici, qui illud nihilominus respuit.

II. Hæ itaque rationes sunt, quæ nedum omnes simul, verùm etiam seorsum singulæ sat movere quemque hominum possent ad volendum, & pleno consensu approbandum, quidquid rerum DEO volente contingit. Anima tamen, quæ ex professo, & peculiari studio ad perfectum DEI amorem incumbit, nulla ex iis indiget, utpote quæ ad omnimodam suæ voluntatis cum divina consensu, incitamentum ex hætenus dictis nobilius, & sui magis proprium intrà se habet, arctissimum nempe illud perpetuæ, intimæque amicitiae fœdus, quod cum DEO iniit; super omnia illum amans, plusque, quàm in se ipsa, in eo vivens. Hujusmodi enim amore concepto, & penitus cordi insito, necesse jam est, ut non ipsum solummodo, sed quidquid  
eti-



etiam ab eo fit, & decernitur, charum habeat, delectabiliter spectet, plenèque & omnino approbet. Solennis quippe amantium mos est, quæcunque ab amatis fiunt, tanquam visu decora, concinnèque, & lepidè facta intueri: quin imò nonnullis etiam persæpe illorū actionibus, & qualitatibus delectari, quæ non amanti absurdæ, prout revera sunt, ac deformes videntur. Unde illa existunt speciosa, & blanda cognomina, quibus à paterno amore naturalia filiorum vitia cohonestari, Horatius observat. Nempe *Strabonem appellat Patrum pater: & pullum, malè parvus si cui filius est, ut abortivus fuit olim Sisyphus. Hunc varum distortis cruribus; illum balbutit Scaurum, pravis fultum malè talis.* (Sat. 3. L. 1.) Et quamvis id genus hallucinationes, præstigiæque humani duntaxat amoris sint propriæ, nec DEUS, utpote ens perfectissimum, ullo hujusmodi fuce pulchriorem in speciem effingi à suis amatoribus queat; dici tamen potest illius quoque amor eorum, in quibus flagrat, oculos alio quodam modo præstringere: adeò ut illa ejus decreta, quæ illum non amantibus ingrata, & molesta accidunt, amabilia ipsis videantur, & omnino jucunda. Neque hic modus vestigatu difficilis, cognitúque est. Qui aliquid

to-



toto pectore amat, tam penitus solet in eam mentem defigere, ut de aliis rebus cogitandi impos penè interim sit. Nam, Philosopho teste, (*L. 5. de Gener. Anim. c. 1.*) *Vehementior motus leviolem expellit. Quare, qui à sole in opacum se transferunt, non cernunt. Motio enim, quæ jam vehemens inest, impedit eam, quæ extrinsecus accidit.* Hoc itaque constituto, in quo vis humano infortunio plures considerari diversæ illius proprietates, aliæ naturâ suâ invisæ, aliæ amabiles possunt. Vel enim spectare illud possumus, tanquam nostris inimicum commodis, & ita spectatum, nequit nisi triste, atque exosum videri; vel possumus intueri, tanquam à cælesti nostro Patre decretum, & sub hac specie nequit nisi amorem, ac lætitiâ cieri. Serpens ille, qui paulò antè humi discurrens virus spirabat, terrorique erat spectantibus; manu apprehensus à Moyse, virga evasit, prodigiorum populo Judaico sulutarium effectrix: adversique illi casus, qui secundum se ipsos nullam nisi contristandi vim habent, observati, prout à paterna DEI manu gubernantur, nativum horrorem suum exuunt, lætitiâque intuentem afficiunt. Quid ergo hinc consequitur? Nempe hoc, ut qui DEUM modicè, séque ip-



ipsum valde amat, quemadmodum in contrariis eventibus noxiam magis eorum indolem, quàm divinam eos decernentem voluntatem confiderat; sic magis ratione illius tristes, quàm hujus respectu experiatur jucundos. Cùm è contrario, qui nihil præter DEUM, vel propter DEUM amat, quidquid sibi evenit, non aliter spectet, quàm ut divinæ voluntatis effectum. Qui titulus flagrantissimi sui erga DEUM amoris causâ adeò illum oblectat, & totum in se detinet, ut reliquas ejusdem eventus conditiones naturaliter molestas, & tristes vel minimè animadvertat, vel fortè etiam animadversas prævalente amabilioris objecti dulcedine haud sentiat.

12. Tale igitur est artificium artificii experti, quo verus DEI amator ea quoque sibi reddit suavia, quæ animas sui amantiore, quàm DEI lethali mœrore obruunt, inque extremam consternationem dejiciunt. Nempe illa in quotidianis rerum eventis haudquam tempus frustra absumit, observans qualia secundum naturam suam sint, amarane sensui, an dulcia, terrenisque suis commodis opportuna, an contraria: sed omni hac consideratione ablegata, unum id meminit, unum animo versat, à DEO illa proficisci, DEO  
pla-



placere, DEUM esse illorum authorem; unde fit, ut ratione hujus tam eximiæ, atque amabilis notæ nequeat ea, non probare, non jucunda experiri, non amanter complecti, non hilari vultu, atque animo excipere. Gratus est hyberna tempestate ignis, ubicunque ardeat, dixit olim S. Remigius, (*Sur. in Vit. 13. Januar.*) placidè se calefaciens juxta suarum frugum incendium, quando illud nulla vi restingui jam posse animadvertit. Nec aliter, quisquis DEUM toto corde amat, gratam, & amabilem in quavis licèt tristi materia experitur illius voluntatem. Quapropter, si ex hujusmodi quopiam scisciteris, undenam illius quies, & lætitia inter rerum jacturas inter hominum injurias, intèrque corporis ægri tudines profluat. At respondebit, quid tu mihi rerum jacturas, quid hominum injurias, quid corporis ægri tudines memoras? locúsne de his cogitandi videtur, si præsens adsit voluntas Numinis, non in se ipso duntaxat, sed & in omnibus, quæ ab ipso proficiscuntur, infinitè amabilis? Hanc enim verò, hanc pulcherrimam, perfectissimam, jucundissimam, amabilissimamque voluntatem unam ego hinc intueor: unaque hæc sibi totum me vendicat, nihil rerum cæterarum ad-

ver-



vertere interim , aut sentire permittens. Ah injuria ! ah corporis ægritudo ! quàm te mihi charam facit esse divina in te apparens voluntas ? Quis amico te vultu , animoque non excipiat , quando commendatitiam hujusmodi epistolam geris ? Etsi millies amarior fores , quàm naturâ tuâ es , quavis tamen ambrosia mihi dulcior accideres , dum ab eo mitteris Domino , qui amor unicus , & tota est mei cordis voluptas. Ità planè loqui solet in adversis suis casibus , quisquis perfectè DEUM amat : non æquo duntaxat , sed & gaudenti animo accipiens , quæcunque ab eo decernuntur , idque hac tantùm de causa , quòd decreta ab eo sint , quem veluti super omnia diligit ; sic fieri non potest , quin ab hoc amore impellatur ad omnia itèm diligenda , & probanda , quæ probari , & placere ipsi viderit.

13. Aliquòdne charitatis tam perfectæ exemplum desideras ? En tibi sacrorum amantium ideam , JESUM Christum DEI Filium in Gethsemani horto. Quidnam ille habet causæ , cur amarissimum mortis suæ calicem inhianter exforbeat ? Nihil utique aliud , nisi quòd à cælesti Patre sibi porrigatur. Hoc unum de illo seposita omni alia mentione exprimit , unumque hoc satis ipsi est , ut majori  
cum



cum aviditate illum exhauriat, quàm si esset nectaris poculum. (*Joa. 18.*) *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ità se res habet. Calix hic, qualiscunque demum fit, à dilecto meo Patre mihi exhibetur. Nequit igitur à superiore animi portione, nisi sapidissimus, ipsóque nectare dulciór existimari. Neque, credo, ille indignabitur, si suo huic exemplo aliud dilectæ suæ sponsæ Catharinæ Genuensis subjungam, quæ à doloribus naturæ intolerandis lectulo affixa eorum acerbitatem festivis hisce vocibus leniebat. (*In Vit. c. 50.*) *Fausto advenerit pede hic, & quicumque alius corporis labor à dulci illa DEI providentia submissus. Etenim sex ferè, ac triginta anni sunt, cum tuam, ô amor dulcis! lucem mihi affudisti: totoque hoc temporis spatio nihil mihi reperisse visa sum perpeffu asperum, sed omnia te supremam eorum causam intuenti acciderunt suavissima. Nunc ad extremum deveni tam immensis doloribus toto corpore afflicta, ut nullam naturæ esse vim credam sustinendis iis parem. Sed, quamvis corpus immaniter adeò discrucietur, animus tamen supra sensum mali eminent, nec perpeti quidquam videtur, sed jucunditate veriùs frui, quam nullis verbis sat exprimere, imò neque cogitando assequi liceat. Audiatur demum Jobus, è sterquilini sui cathedra*



dra disputans , mira quadam argumentandi ratione , nec unquam in peripato audita. ( c. I. & 2. ) *Si bona de manu Domini suscepimus , mala quare non suscipiamus? Dominus dedit , Dominus abstulit. Sicut Domino placuit , ita factum est ; sit nomen Domini benedictum.* Argumentum , solam illius superficiem intuenti , nîl videtur conficere. Jámque complures mundi asseclas audio , qui interrogatione illa audita : *si bona de manu Domini suscepimus , mala quare non suscipiamus?* Admirantes , & vix non irridentes respondeant , nemini non patere rationem discriminis ; quia nempe illa erant bona , hæc verò sunt mala : illa amoris , desiderii , ac lætitiæ ; hæc contra odii , aversionis , & mœroris objectum. At non ita , qui in divini amoris metaphysica eruditus est , præcisionesque , secundum hanc à Jobo in iis verbis usurpatas , observat. Noverat quidem consultiſſimus ille fortiter , hilaritérque patiendi magister , bona à malis , si secundum naturam spectentur , toto cæle differre ; sed tam in his , quàm in illis nihil præter divinam voluntatem spectabat , à nativa , diversaque eorum indole mentem abstrahens , nec ea , nisi sub unica , & communi ambobus ratione considerans , tanquam nempe à DEO volita , & missa.

N n n

Qua-



Quare scientis Dialectici ritu arguebat, æquum esse, ut veluti bona olim gaudens susceperat, non quia naturaliter bona essent, sed quia sibi à DEO mittebantur; sic eadem illa ratione in malis quoque existente, tanquam & ipsis à DEO missis, pari cum gaudio hæc quoque in præsentis susciperet. Perinde quasi dicens: *Bona, & mala dedit, & abstulit*, discrimina sunt nullius in mea æstimatione momenti, utpote in quibus cælestis Metaphysica nihil nisi eorum authorem intueri me docuit. Si ergo Dominus est, qui *dedit*, & Dominus itèm, qui *abstulit*, eadèmque illius manus, sicut antea cumulârat me bonis, ità nunc malis; nihil causæ occurrit, cur quidquam diversi inter bona, & mala, intèrque dedisse, & abstulisse agnoscam: nec in utroque potiùs statu eisdem sensus foveam, eandem consequentiam eliciam, idèmque laudis, & lætitiæ canticum moduler: *Sit nomen Domini benedictum.*

